

1599
Itali Prin-
cipes Vene-
ris militum
delectum in
suis ditioni-
bus prohibi-
bent.

Josephus
Rebata a
Ferdinando
Venetias
mittitur.

traturum ratus, quod nova affinitate Hispaniarum Regi con-
junctus esset; quodque privatæ publicam causam prætexeret,
armorum tumultu iis in locis excitato, Cæsari in Pannonia
adspirantem fortunam averti posse. Quocirca Principum non-
nulli Hispanis devincti, palam milites pernegare, alii cuncta-
tione uti, morasque innectere.

Eodem tempore Josephum Rebatam, legatum, Ferdinandus Venetas mittit, si forte apparatus remorando, disceptationibus tempus extrahendo, animorum fervorem atque im-
petum reprimere posset. *Multis maximisque beneficiis Reipu-
blicæ Ferdinandum devinctum esse*, Rebata inquit, *quod su-
perioribus annis Venetas accedens, liberaliter exceptus*; *quod anno elapso soror Philippo nupta, in Hispaniam proficisciens*,
in Venetis ditionibus summis honoribus sit exculta. Ingentem ex Uscoborum audacia, ac præcipue ex iis, quæ nuper con-
tigerant, molestiam percipere, facinora exborrescere, sceleris
detestari; ceterum nec culpam penes se, neque remedium es-
se; *Senniam omnium malorum fontem in Cæsaris Pannonicæ
Regis ditione contineri*; nulla porro in re sibi subjectos delin-
quere, licet multa damna atque injuria ad innoxios perveniant;
*Uranam in Istria oppidum direptum, navigia suorum intercep-
ta*, eorum aliquot ad triremium transtra ablegatos, quæ sa-
ne parum suæ cum Republica amicitiae respondeant. *Quam
motus bi christianis rebus officiant*; quam facile pax in Pan-
nonia cum Mehemete, Reipublicæ quoque rationibus adversa,
inde oriri possit, Patres expenderent; secum reputarent, quantam auri vim in suis finibus, quæ munimento Reipublicæ sint,
adversus Turcas tutandis insumere Ferdinandus cogeretur:
respicerent, quo pietatis ardore in catholicæ religionis incre-
mentum, hereticisque excindendis incumbere: ne ab egregiis
præclarisque actionibus ad sublimia quæque natum Principem
deterrent: Principem, inquam, Reipublicæ amicum, finiti-
mum, eximia probitate præeditum, affinitate præcipuis chri-
stianæ reipublicæ Principibus junctum: ad Cæsarem excitandum,
ad quem negotium id spectaret, omnem operam studiumque
Reipublicæ navaturum; ac si quid Senatus vel proponeret vel
postularet, pro virili, ut voti compos fieret, enixurum: petere
interea, rogare, ut cœpti apparatus intermittentur, remque